Ohlert, Albert Leopold Julius
De notione tou ego

DE

NOTIONE ΤΟΥ EGO

DISSERTATIO

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ALBERTINA

PRO VENIA LEGENDI

D. XXIX SEPTEMBRIS A. DMCCCXXIII

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

ALBERT. LEOPOLD. JUL. OHLERT

PHIL. D. A. A. L. L. M. S. S. THEOLOG. CANDID. ET SCHOL. APUD AED. CATHEDRAL. REGIOMONT. PRAECEPT. ORDIN.

RESPONDENTE

CAROL. HENRIC. FROEHLICH

PILLAU-BORUSSO

THEOL. ET PAEDAG. CULT.

CONTRA OPPONENTES

FRIDERIC. LUDOVIC. OTTON. JOHNE

LIPNO-POLONUM

ET

THEOPHIL. THEODOR. FABIAN

TILSENSEM

THEOL. ET PHIL. CULTORES.

REGIOMONTI,

TYPIS ACADEMICIS HARTUNGIANIS.

SOCIETATI

GEDANENSI BORUSSIAE
OCCIDENTALI

IN MEMORIAM PACIS LUTETIAE PARISIORUM

CONDITAE

EXCELLENTISSIMAE, HUMANISSIMAE, HONORATISSIMAE

PRO

INNUMERIS IN SE COLLATIS BENEFICIIS ET FAVORIS DOCUMENTIS

HANC DISSERTATIONEM

TANQUAM EXIGUUM SUMMAE VENERATIONIS ET GRATISSIMI

ANIMI TESTIMONIUM

D. D. D.

ALBERT. LEOPOLD. JUL. OHLERT
BORUSSUS OCCIDENTALIS.

De
notione τον Ego

Prolegomena.

§. 1.

Tres sunt notiones sibi contradicentes in experientia obviae[1]), quae petunt a metaphysicä generali, ut solvat eas, atque corrigat, *mutatio, res plures habens proprietates vel aggregatio phaenomenorum in una eademque re, et το Ego*, quarum prima cardo fere totius philoso-

1) Nonnulli philosophi volunt, in philosophiam contradictiones non esse intromittendas. Nescio vero, quid sibi velit philosophia, si contradictiones ab experientia datas solvere non studeat? Sane sunt notiones contradictoriae, eaeque formales, quae solutionem non admittunt, eamque etiam non requirunt (spatium tempus); sunt vero etiam notiones contradictoriae ad realia spectantes, quibus non solutis metaphysica sana excogitari nequit, quia cogitatio et experientia tunc inter se repugnant. Methodus solutionis autem sine dubio sic esse debet, ut ab experientia probetur. — Cf. Herbart. dissert. de attract. elementorum pag. II.

phiae dici potest: mutationis enim contradictione soluta, ad explicandas illas duas notiones, rei cum pluribus proprietatibus et του Ego, via reperta est, nec aliud quid per totam philosophiae historiam invenies, quam ipsam mutationis notionem, cui explicandae omnes philosophi celeberrimi non minus, quam qui inferioris momenti erant, studuere, ita ut hoc quasi nervo non recte constituto, omne systema in gyrum contradictionum falsarumque explicationum cadat necesse sit.

§. 2.

Plura facta sunt pericula, contradictoriam mutationis notionem solvendi, et fere tot, quot inventa sunt systemata philosophica. — *Thales* omnia nasci ex aqua contendit; *Anaximander*, primus ad transcendentalem, ut ita dicam, regionem se tollens, το ἄπειρον in philosophiam induxit; *Heraclitus* continuum rerum fluxum docuit, ideoque internum mutationis principium; *Eleatici*, ut discenderent ab erroribus, in quas lapsum esse Heraclitum senserunt, mutationem omnino sustulerunt, et statuere: το ἐιναι ἐστι; *Plato*, abhorrens quidem a sententia Heracliti, mutationem tamen tollere nolens, ad explicandam eam extra ideas ἄποιον ὕλην docuit, et *Aristoteles* disciplinam Platonis de hyla quadam amplexus, non intellexit, mutationis notionem involvere contradictionem, sed sine magna consideratione omnia mutari et fluere putavit. Inter recentiores Leibnitius monadas et praestabilitam illam harmoniam excogitavit, atque mutationi internum dedit principium[2]); *Spinoza*, qui Deum esse

2) Principium mutationis internum falsum esse, statim elucet, nisi notio entis perturbetur. *Ens semper est simplex et uniusmodi, et tale, quale est* (Cic. Ac. quaest. I, 8.), multitudo igitur in uno ente cogitari nequit. Sin vero pricipium mutationis internum po-

rem extensam et rem cogitantem putavit, evolutionibus horum divinorum attributorum mundum visibilem omnesque mutationes illustrare voluit. *Kantius* vero, intelligens, nos semper in perceptionibus nostris versari, formas experientiae nobis insitas, atque extra nos ens per se docuit, ita ut *Beckius* denique et *Fichtius* materiam omnino negarent, neque aliud esse concederent, quam το Ego, cujus perceptiones mutarentur, atque sic fastigium idealismi ascenderent. Recentissimos philosophos taceo, nam redierunt rursum ab idealismo absoluto.

§. 3.

Sin vero systemata illorum philosophorum, quos modo attuli, eorumque explicationum mutationis seriem perpendamus, nulla fere illustratio vera atque mera, liberataque contradictionibus esse videtur, nisi expositio *Fichtii*, qui externarum rerum existentiam negans, το Esse tantummodo τῳ Ego concedit, quod vere esse, quisque, in se spectans, asserit, atque totum mundum cum omnibus mutationibus esse visum contendit, factum actu ipsius του Ego. Haec igitur esse videtur veritas tam diu frustra quaesita, haec corona omnis cogitationis, hic finis speculationis, nam amplius το Esse removeri nequit, et externis rebus sublatis omnes contradictiones in notione mutationis obviae stratae videntur.

Sed etiamsi primo adspectu systema Fichtii fastigium philosophiae ascendisse et in aeterna tempora positum esse, neque ullis armis vinci posse videatur, tamen invenies, si accuratius perscrutari velis hanc philosophiam, το Ego ipsum quoque magnas involvere contradictiones,

---

natur, necesse est, tot varia initia in se habeat ens, quot varia phaenomena ex eo procedunt, hoc est, multitudo sit in unitate, quod sibi repugnat. Cf. Herbart. diss. de attr. element. §. 12. — 14.

atque hanc notionem neutiquam constare posse, quam ob causam ea adhiberi nequit ad explicandam contradictoriam notionem mutationis. Tamen vero, quamvis falsum sit principium philosophiae Fichtianae, sine dubio inter summos Fichtius numerandus est philosophos, nam eximia usus est sagacitate.

§. 4.

Propositum nunc est meum, contradictiones idealismi detegere, atque periculum facere, pro illa falsa τȣ Ego notione Fichtii correctam supponere.

Notio enim τȣ Ego nascitur in experientia atque ab ea abstrahitur, et nullo modo est *ens*, sed tantummodo *notio*, quam ob causam explicari et corrigi debet principiis metaphysices generalis, solventis contradictiones in experientia obvias. Sin vero, ut Fichtius fecit, τo Ego habetur *ens*, atque extra experientiam ponitur, et supra eam tollitur, ita ut hoc experientiae difficultates soluturum esse putetur, falsa metaphysica inde oriatur necesse est.

§. 5.

Disputatio nostra omnis dividatur in IV sectiones, nam sermo erit:

1. de primariis systematibus philosophicis ante Fichtium ad idealismum spectantibus,
2. de Fichtii idealistico systemate,
3. de contradictionibus in Fichtii idealismo obviis,
4. de correcta τȣ Ego notione.

Sectio prima.

Primaria systemata philosophica ante Fichtium ad idealismum spectantia.

Eleatici.

§. 6.

Si historiam philosophiae percurramus, ut clarum nobis fiat, quomodo et quibus systematibus nitens Fichtius ad idealismum se vergerit, inter vetustissimos philosophos invenimus viros quosdam, qui majorem Fichtio ipso gradum ascendisse videntur, Eleaticos dico, nam non modo ut Fichtius res externas negabant, sed omnem etiam opinionem de iis, omnem experientiam sic dictam non statuentes, ut contradictiones vitarent eas, quas experientia nobis quotidie obtrudit, decretum ponebant: ἐστι το ἐιναι, neque periculum faciebant phaenomenorum explicandorum, quia totum naturae adspectum, omnes mutationes et nexum causalem omnemque vitam humanam in spatio et tempore potius vanam esse fabulam (κοσμον ἐπεων ἀπατηλον) putare, quam illam aeternam veritatem tollere volebant; id, quod est, semper est simplex et unius modi et tale, quale est. —

Quamvis autem egregia sit horum virorum magnitudo animi in reiicienda experientia, quam nos dicimus, tamen philosophia ista non sufficit, nam placitum illud: το ἐιναι ἐστι[3]) falsum, atque connexus inter το Esse et

3) To Esse enim non est *ens*, sed tantummodo notio, et si ponis, esse, το X, uti debes duplici notione, nempe του Esse et alicuius, quod est, et ad quod το Esse referri potest. — Cf. Herbart. metaphys. §. 1.

phaenomena, qui necessarius est, quia, si nihil est, nihil quoque videri potest, plane sublatus est. Et hoc ultimum reducit ad Fichtium; is enim conatus est invenire et explicare nexum inter purum Esse, et phaenomena. —

Nullus vero post Eleaticos philosophus usque ad recentiora tempora idealismum attigit, nemo enim realitatem objectivam omnino negare voluit. Seculo XVIImo demum Berkeley ausus est ad idealisticam se vergere philosophiam; ad eum igitur pergat disputatio nostra.

Berkeley.

§. 7.

Lockius vanas Scholasticorum speculationes deserens ad experientiam se vertit, ejusque testimonio fidem dans, empericum docuit systema, *sensualismum*, et sensationibus simplicibus tam externis quam internis *objectivam realitatem* adscribebat, easque accipere animum ceu *tabulam rasam*, nihilque addere contendebat. Hic empirismus, facillima quidem philosophandi methodus, multas amplexus est errores, atque materialismo et eudaemonismo favens nec ad sanam metaphysicam nec ad probandam morum artem duxit. Multi tamen secuti sunt Lockium, et empirica, ut ita dicam, schola in philosophia nata est; sed nonnulli etiam viri sagacissimi contra illum ejusque philosophiam certarunt, inter quos pro nostrae disputationis fine praecipue nominandus est *Berkeley*[4]). Hic enim putavit, errorum in philosophia fon-

4) Cf. Sammlung der vornehmsten Schriftsteller, die die Wirklichkeit ihres eigenen Koerpers und der ganzen Koerperwelt leugnen etc. von J. Christ. Eschenbach. — Ceterum ante Berkeley *Collier* in opere suo: *clavis universalis*, idealismum similem docuerat. — Quodam respectu etiam Cartesius, Malebrancius, et Spinoza hic referendi sunt, nam praepararunt, ut ita dicam, idea-

tem esse vanam opinionem de realitate mundi visibilis, et *idealismum* verum systema cognitionis humanae habuit. Ostendit igitur difficultates et contradictiones in experientia tum interna tam externa obvias, exposuitque nos neutiquam sensibus nostris realitatem rerum externarum cognoscere posse, ideoque vanam et nullo modo defendendam esse opinionem, si contendamus, corpora extra nos, atque extra nostros perceptiones esse. Percipit homo, inquit, tantummodo notiones suas, quas vero Deus ei dat.

Kantii idealismus transcendentalis.

§. 8.

Berkeley per idealismum suum empirismum, materialismum et scepticismum vincere voluerat, sed tantum abfuit, ut finem hunc consecutus sit, ut potius systemate suo scepticismo faveret, et *Humius* sagacissime scepticismum docuit, contra quem certans *Kantius idealismum transcendentalem* excogitavit. *Humius* nempe objectivam cognitionem et veritatem omnino negavit, et subjectivam tantummodo substituit, praecipue vero nexum causalem nullo modo *a priori* defendi vel cognosci posse contendit, sed hauriri ex experientia, e principio consuetudinis, nihilque esse aliud, quam perceptionum nostrarum assotiationem. Ob hanc causam nullam cognitionem esse vult, quam experientiam, ideoque nullam metaphysicam. Hunc vero scepticismum retulit quoque ad

---

lismum, quia obiectivam realitatem e mundo visibili tollebant, eamque in Deo ponebant, ita ut omnis cognitio veritatem accipiat e cognitione Dei. Praecipue Malebrancius idealismum quasi mysticum docuit. Cf. Nic. Malebranche de la recherche de la verité etc. Par. 1673.

existentiam Dei, ad immortalitatem animi, et nullam cognitionem de his rebus esse docuit[5]).

§. 9.

Kantius igitur, per Humium scepticum admotus, examinare voluit, num cognitio philosophica fieri possit, atque principium philosophiae non esse experientiam, sed *rationem* contendit. Quaesivit igitur nexus causalis principium a priori, et interrogans, num methaphysica ab hominis mente excogitari possit? *in pura ratione* ultimam cogitandi et sciendi causam posuit, quo facto via ad idealismum patuit. — Metiri ideo coepit vires mentis humanae, atque scripsit criticen rationis purae. Intellexit, meditationibus suis hominem nunquam transgredi posse perceptiones suas, et omnem cognitionem in his tantummodo perceptionibus versari: ut vero intuitio (Anschauung) a priori fieri possit, statuit, nos objectum intueri ad qualitatem facultatis intuendi, qua re notionum contradictoriarum ab experientia sublatarum causam in mente humana posuit. Afferam locum huc spectantem, ut clarius eluceat, quid sibi velit Kantius:

Wenn die Anschauung sich nach der Beschaffenheit der Gegenstände richten müsste, so sehe ich nicht ein, wie man a priori von ihr etwas wissen könne; richtet sich aber der Gegenstand (als Object der Sinne) nach

---

5) Verba Humii de nexu causali haec sunt: „Ich will mich erkuehnen, als einen allgemeinen Satz, welcher keine Ausnahme zulaesst, zu behaupten, dass die Erkenntniss der Ursache und Wirkung in keinem einzigen Beispiele durch Vernunftschluesse a priori gemacht werde; sondern gaenzlich aus der Erfahrung herkomme, kraft deren wir finden, dass besondere Gegenstaende bestaendig einer mit dem andern vereinigt sind.“ Versuch ueber die menschl. Erkenntniss. cap. IV.

der Beschaffenheit unsers Anschauungsvermögens, so kann ich mir diese Möglichkeit ganz wohl vorstellen. Weil ich aber bei diesen Anschauungen, wenn sie Erkenntnisse werden sollen, nicht stehen bleiben kann, sondern sie als Vorstellungen auf irgend etwas als Gegenstand beziehen und diesen durch jene bestimmen muss, so kann ich entweder annehmen, die Begriffe, wodurch ich diese Bestimmung zu Stande bringe, richten sich auch nach dem Gegenstande, und dann bin ich wieder in derselben Verlegenheit, wegen der Art, wie ich a priori hievon etwas wissen könne; oder ich nehme an, die Gegenstände, oder welches einerlei ist, die Erfahrung, in welcher sie allein (als gegebene Gegenstände) erkannt werden, richte sich nach diesen Begriffen; so sehe ich sofort eine leichtere Auskunft, weil Erfahrung selbst eine Erkenntnissart ist, die Verstand erfordert, *dessen Regel ich in mir, noch ehe mir Gegenstände gegeben werden, mithin a priori voraussetzen muss*[6].

§. I.

En igitur opinionem Kantii, ante omnem experientiam insitas esse menti humanae formas experientiae, quibus adhibitis necessario modo actus percipiendi locum habeat. Ut autem materia quaedam experientiae sit in illas formas redigenda, ens per se esse extra nos, vult Kantius, quod quasi stimulus sit ut facultas percipiendi expergefiat, et quod fundamentum sit phaenomenis, quia haec cogitari non possint, nisi quid sit, quod videatur. — Sic igitur neutiquam cognoscimus entia per se ipsa, sed tantummodo phaenomena, spatium et tempus non objecta sunt extra nos, neque relationes quaedam

6) Praefat. edit. alter. critic. ration. par. pag. XVII.

rerum inter se, neque notiones abstractae[7]), sed formae facultatis percipiendi a priori, et intellectus materiam a facultate percipiendi in illas formas redactam conjungit secundum categorias suas.

Duplici ergo modo res externas cogitari vult Kantius, ceu phaenomena et ceu entia per se, atque nexus causalis notionem intellectui attribuit ceu formam necessariam in percipienda experientiae materia.

§. 11.

Quaeri vero potuit, quomodo fiat, ut nos, qui semper in perceptionibus nostris versemur, neque unquam eas transgredi possimus, res externas statuamus, quarum existentia nullo testimonio probetur, cum nihil omnino animo percipere possimus, nisi ea, quorum nobis conscii simus in mente? Ad quae ut responderet Kantius, argumentis firmare conatus est: *rerum externarum existentiam nos vere cognoscere.* Perspexit enim, postulato cognoscendi res externas alio modo satisfieri non posse, ac si conjunctio aliqua vel nexus esset inter rem externam et perceptionem, ita ut relatio quaedam sit mentis ad entia per se. In explicatione igitur secundi postulati cogitationis empericae in universo (des empirischen Denkens überhaupt) — quod sic legitur: Was mit den materialen Bedingungen der Erfahrung (der Empfindung) zusammenhängt, ist wirklich — idealismum Cartesii problematicum sic dictum, quo contenditur, res extra nos esse probari non posse, victurus, hanc posuit propositionem: das blosse, aber empirisch bestimmte Bewusst-

7) Sam. Clarke in opp. contra Leibnitium de spatio et tempore dicit: spatium est vel nihil, vel perceptio, vel relatio rerum inter se, vel materia, vel substantia, vel accidens. Ultimum contendit Clarke, et infinitum spatium accidens esse vult infiniti entis, h. e. Dei.

sein meines eigenen Daseins, beweist das Dasein der Gegenstände im Raume ausser mir; atque argumentatur ita:

Ich bin mir meines Daseins als in der Zeit bestimmt bewusst. Alle Zeitbestimmung setzt etwas Beharrliches in der Wahrnehmung voraus[8]). Dieses Beharrliche aber kann nicht eine Anschauung in mir sein. Denn alle Bestimmungsgründe meines Daseins, die in mir angetroffen werden können, sind Vorstellungen, und bedürfen, als solche, selbst ein von ihnen unterschiedenes Beharrliches, worauf in Beziehung der Wechsel derselben, mithin mein Dasein in der Zeit, darin sie wechseln, bestimmt werden könne. Also ist die Wahrnehmung disses Beharrlichen nur durch ein Ding ausser mir möglich. Folglich ist die Bestimmung meines Daseins in der Zeit nur durch die Existenz wirklicher Dinge, die ich ausser mir wahrnehme, möglich. Nun ist das Bewusstsein in der Zeit mit dem Bewustseyn der Möglichkeit dieser Zeitbestimmung nothwendig verbunden. Also ist es auch mit der Existenz der Dinge ausser mir als Bedingung der Zeitbestimmung nothwendig verbunden; d. i. das Bewustsein meines eigenen Daseins ist zugleich ein unmittelbares Bewusstsein des Daseins anderer Dinge ausser mir[9]).

§. 12.

Sic igitur Kantius existentiam externarum rerum probasse putavit, et argumentum hoc, ut ipse scripsit, unice verum habuit, sed non intellexit, illas formas menti humanae insitas spatii et temporis, si series phaenomenorum, ut ita dicam, facerent, quorum conscii simus,

---

8) Sequentia verba non scripta sunt in pagina allata, sed in praefat. ad edit. alter. pag. XXXIX., ubi Kantius ipse ea substituit pro verbis in ed. prima.

9) Critic. pur. ration. edit. quart. pag. 275.

etiam efficere posse, nos ipsos nobis in tempore apparere, quia nos, ceu viventes in tempore, ad phaenomena pertineamus; si igitur phaenomena temporalia cognosci possunt, sine illo manenti posito (ohne Setzung des Beharrlichen), eodem modo nostrûm conscii esse possumus. Ceterum, si homo in se habet formas percipiendi, nescio, cur non etiam ei insita esse possit forma cogitandi manens quoddam, ad quod referat omnia phaenomena temporalia, ita ut illud manens in animo nostro quidem sit, non vero extra nos?

Tantum etiam abfuit, ut hoc argumentum adversariis persuaderet, systema Kantianum idealismo non favere, ut maxima, quam fecere ei, criminatio haec esset, ut omnem objectivam realitatem reiiceret.

Neque etiam negari potest, Kantium sane idealismum docuisse, quamvis alienum se esse asserat ab illo idealismo empirico, qui spatium esse contendens, rerum in illo existentiam negat. Hic quidem idealismus insanus fere dici potest, sed *alium ab ipso transcendentalem vel formalem dictum docuit Kantius, ita ut fons perceptionum, phaenomenorum et qualitatum eorum in mente humana quaerendus, tamen autem ens per se plane incognitum extra nos ponendum sit*[10].

---

10) V. Critic, pur. ration pag. 520., ubi Kantii verba haec sunt: Der Raum selbst, sammt der Zeit, und zugleich mit beiden alle Erscheinnngen, sind an sich selbst keine *Dinge*, und nichts als Vorstellungen, und koennen gar nicht ausser unserm Gemuethe existiren, und selbst ist die innere und sinnliche Anschauung unsers Gemuethes — — nur eine Erscheinung, die der Sinnlichkeit dieses uns unbekannten Wesens gegeben worden. In dem Raume aber und der Zeit ist die empirische Wahrheit der Erscheinungen genugsam gesichert. — Realismus rebus, uti percipimus eas in spa-

Videtur vero mihi Kantius se ipse fefellisse, docens hoc ens per se, et argumentum illud antea exscriptum, quia nec sibi ipse nec aliis idealista videri voluit. Si enim entia simplicia nobis plane incognita sunt, neque ad varias suas qualitates varias perceptiones in nobis excitant, quarum origo quidem explicanda est, quae autem indicant, varia quoque esse entia extra nos, et conjunctiones ea inter se iniisse, vel antea factas diremisse; sed mens nostra omnem experientiam in illas formas cogit, atque igitur fingit res his vel illis qualitatibus praeditas, et seriem rerum factarum et nexum inter eas: nos semper in mundo a nobismetipsis creato versamur, et illud ens per se nihil aliud est quam *non ens*, de quo loqui vel scire aliquid velle ridiculum est, quod alium mundum nobis incognitum format, a quo ad nos nullus transitus, nullus nexus existit.

Reinholdii philosophia elementaris.

§. 13.

Mox quoque haec et similia contra Kantii systema objecta sunt et discipuli atque qui sequebantur ejus doctrinas, pericula fecerunt, philosophiam magistri ipsorum ab erroribus et contradictionibus liberandi, vel complendi istis in locis, ubi deesse aliqua viderentur, vel Kantii verbis alium supponendi sensum.

---

tio et tempore, vel phaenomenis etiam realitatem non adscribit, sed contendit, phaenomena oriri non posse, nisi res extra nos sint; quia vero phaenomena ceu phaenomena negari non possint, res externas quoque negari non posse; formas autem experientiae non insitas esse animo humano, sed *nasci concursu entium inter se.* Apud Kantium autem ens externum sane inutile est, nam omnis experientia illis formis insitis construi potest, ut ita dicam.

Reinholdius primus explere voluit philosophiam criticam, et quia Kantius facultatem cognoscendi tantummodo exposuerat, neglecta facultate percipiendi, hanc perscrutatus est, quare speravit objectivam realitatem probaturum et relationem entium ad nos accuratius ad lucem tracturum se esse. Proposuit igitur: *im Bewusstsein wird die Vorstellung von dem Vorgestellten und Vorstellenden unterschieden und auf beide bezogen*; et sic sententiam suam exposuit: perceptio vel idea aliquid habeat necesse est, quod referatur ad objectum extra nos et multitudinem involvat; sed etiam contineat aliquid necesse est, quod respondeat subjecto et materiam vel objectum cum subjecto conjungat, atque *forma unitatis* sit. Si enim dicitur: ego percipio τo A, diversum est τo A a τῷ Ego et etiam a perceptione; τo Ego vero perceptionem referat necesse est ad τo A, et quoque ad se ipsum, quia ipsum percipiens est. Perceptio ergo aliquid commune habet cum τῷ A et cum τῷ Ego, et tamen ad utrumque refertur. — Hoc modo fit, ut forma unitatis conscientiae ad variam et multiplicem referatur materiam. — Sic igitur putavit Reinholdius[11]) systema Kantianum a quolibet adversariorum impetu tutum reddidisse, et realitatem praecipue objectivam stricto defendisse argumento, quia necessario perceptibilia extra nos ponenda sint.

Destituit autem spes Reinholdium, se Kantium a criminatione idealismi liberasse, sed clarius potius per librum suum elucebat, philosophiam criticam sane esse idealisticam, et *G. E. Schulze:* in *Aenesidemo* suo exposuit, in Reinholdii philosophia elementari (sic enim hic systema suum appellaverat) objectorum realitatem

11) V. Reinhold. op. Versuch einer neuen Theorie des Vorstellungsvermoegens, Jena 1789.

non probatam esse, nam in dubium vocari possit, causa relationis perceptionum ad objecta quaedam subjectiva an objectiva sit. Dubitationi, quomodo declarandus sit nexus inter cognitionem nostram et entia extra nos, locum dari, nam illud ens per se Kantianum vana sit notio, quae ipsa refutetur ab illis a Kantio doctis cognoscendi principiis, ita ut systema criticum sibi ipsum contradicat; spatium tempus, magnitudinem, realitatem, substantiam, causalitatem, aggregationem phaenomenorum in una eademque re, necessitatem, essentiam, visum, vim, quietem, τo agere, τo pati, principia subjectiva esse facultatis percipiendi et cognoscendi, nec pertinere ad res, quoad sint objecta: quid igitur sit illud ens per se, in quo ponat Kantius objectivam realitatem cognitionis nostrae, si nusquam et nunquam sit, si nec substantia, nec accidens, nec causa, nec effectus, nec positivum nec negativum, nec necessarium nec non necessarium sit, si neque aliquid agat, neque patiatur, neque sit in quiete?

Haec fere *Schulze* et *S. Maimon*[12]) contra Kantium et Reinholdium attulere.

Beckius.

§. 14.

Cum ideo periculum supplendi systema criticum non succedisset, *J. S. Beckius* conamina fecit, alium Kantii verbis supponendi sensum, quam usque ad illud tempus plurimi in philosophia critica invenerant. Exterminavit nempe plane ens per se, et docuit, nos res externas, earumque qualitates tantummodo fingere, atque omnem realitatem externam in subjectivo nostro intellectu ejusque legibus positam esse. Hanc veram fuisse

---

12) V. Kritische Untersuchungen ueber den menschlichen Geist oder das hoehere Erkenntniss- und Willensvermoegen.

sententiam Kantii contendit, qui existentiam rerum externarum non affirmasset[13]). — Sic igitur systema Kantianum plane idealisticum apparuit, nam extra nos, secundum Beckium nihil est, sed omnia, quae externa videntur, a nobismetipsis ficta sunt; neque negari potest, hanc adumbrationem philosophiae criticae, sensui ejus accommodatam esse, quanquam *verbis* Kantii nonnunquam contrariam. — Quia autem Beckius obscurius scripserat, paucissimi illum sequebantur, imo Reinholdius illudebat eum, et Fichtius solus fere dicebat, Beckium primum veram Kantii sententiam intellexisse.

Sectio secunda.

De Fichtii idealistico systemate.

§. 15.

Fichtius verum elaboravit idealismum. Voluit nempe ex una propositione formam et materiam cognitionis deducere, unitatem in systemate critico neglectam efficere, et difficillimum problema, quomodo cogitationes nostrae cum cogitatis conjunctae sint, solvere. Scripsit igitur doctrinam scientiae (Wissenschaftslehre) in qua nec conscientiam, nec objecta, nec materiam cognitionis nec formam ejus datam esse, sed *produci actu του Ego* contendit, neque ut Kantius a divisione facultatum cognoscendi, sed *a principali quadam activitate του Ego* incepit.

Scientia est secundum Fichtium systema cognitionis constitutum propositione primaria, quae formam atque materiam sciendi continet. Scientiae doctrina principium

13) V. Grundriss der kritischen Philosophie 1796.

ha-

habeat necesse est, quod nec ea ipsa nec alia disciplina demonstrari possit, nam suprema est doctrina et est per se ipsam, et est quia est. Si autem principium doctrinae scientiae est, sit etiam systema necesse est; si vero systema est, etiam sit doctrina scientiae necesse est et absoluta quaedam primaria propositio. — In circulo hic circumduci sane intellexit Fichtius, sed necessarium esse hunc circulum asseruit, quia indicaretur eo, finem principiorum sciendi hoc loco esse; si enim circulus ille reiiceretur, nullum superesset fundamentum τῷ Scire.

Illud vero principium vel propositio primaria est: A = A, conjunctionem significat X, ita ut A sit materia vel objectum, X forma sciendi, et quia A et X in τῷ Ego ponatur — nam nihil aliud est, quam τὸ Ego — pro ista prositione substitui potest: ego sum ego. In universo autem tria sunt principia scientiae: primum est absolutum, enunciatum sine conditione quoad materiam et formam; secundum enunciatum sine conditione quoad formam, sed non quoad materiam; tertium enunciatum sine conditione quoad materiam sed non quoad formam.

§. 16.

De his principiis Fichtius ipse sic docuit: *erster schlechthin unbedingter Grundsatz*: Ich = Ich, Ich bin Ich, et sic enucleat haec verba: Das reine Setzen des Ichs durch sich selbst ist die reine Thätigkeit desselben. Das Ich setzt sich selbst, und es *ist*, vermöge dieses blossen Setzens durch sich selbst. Das Ich setzt ursprünglich schlechthin sein eignes Sein[14]). *Zweiter seinem Gehalte nach bedingter Grundsatz*: dem

14) V. Grundlage der gesammten Wissenschaftslehre. 1802 pag. 6. 8. 11.

Ich ist schlechthin entgegengesetzt ein Nicht - Ich[15]). *Dritter seiner Form nach bedingter Grundsatz*: das Ich und das Nicht - Ich werden sich gegenseitig einschränken. Denn im Ich soll das Ich nicht gesetzt werden, in so ferne ein Nicht - Ich darin gesetzt ist, aber es soll auch gesetzt seyn; daher das Ich sowohl als das Nicht-Ich theilbar gesetzt wird. Die Masse dessen, was gewiss ist, lässt sich in folgender Formel ausdrücken; ich setze im Ich dem theilbaren Ich ein theilbares Nicht-Ich entgegen. Das Ich sowohl, als das Nicht-Ich sind, beide durch das Ich und im Ich gesetzt, als durcheinander gegenseitig beschränkbar d. i. so, dass die Realität des Einen die Realität des andern aufhebe und umgekehrt[16]). In tertio principio duo alia continentur magni momenti, haec nempe: *das Ich setzt sich als bestimmend das Nicht-Ich*, et: *das Ich setzt sich als bestimmt durch das Nicht-Ich*[17]).

§. 17.

Tȣ Ego igitur realitas coercet realitatem τȣ Non-Ego, το Ego alio modo se ponere nequit, quam determinatum (bestimmt) per το Non-Ego, quia aliter conscius sibi esse non potest, neque subjectum est sine objecto. Sed sine subjecto etiam non objectum est, et το Ego igitur se quoque ponit determinans το Non-Ego; ita ut το Ego et patiatur et agat. Το Ego tollit quasi partem realitatis suae, et fingit hanc ceu Non-Ego, sibi contrarium, vel ceu mundum externum, ita ut το Non-Ego realitatem a τῷ Ego accipiat, per se

---

15) l. c. pag. 19.
16) l. c. pag. 22. 24. 26. 49.
17) l. c. pag. 52.

vero nihil sit. Idem igitur est, utrum τo Ego agens et τo Non-Ego patiens, an τo Non-Ego agens et τo Ego patiens cogitetur: utroque modo lites inter realismum et idealismum compositae sunt, et systema verum philosophiae repertum est.

Simpliciter postulabatur, ut τo Ego ponat τo Non-Ego, quod sic tantummodo fieri potest, ut τo Ego offendat ad aliquam rem, cujus offensionis causa necessario modo e τῳ Ego deduci debet, nam in τῳ Ego nihil esse potest, nisi quod ipsum in se ponat[18]. To Ego est liberum, unica realitas, infinita actio, quae nunquam finem suum assequeretur, quia infinita est, tamen vero studium agendi et efficiendi aliquid habet. Offendit igitur τo Ego ad rem aliquam (es stösst an eine Schranke) et reflectum ad se ipsum, ponit aliud quid sibi contrarium vel τo Non-Ego, ita ut actio τoυ Ego nunc referatur ad τo Non-Ego, idque determinet, atque τo Non-Ego mutuo coërceat τo Ego, qua re causalis quidam nexus nascitur inter τo Ego et τo Non-Ego. To Ego vero fingit τo Non-Ego ceu mundum extra se, et ipsum sibi tum pars hujus mundi — igitur finitum, coactum — tum infinitum, liberum, unicum apparet. Cum mundo igitur τo Ego ponatur nesesse est, et cum τῳ Ego mundus, nam mundus tantummodo in τῳ Ego et per τo Ego esse potest. Omnia ergo externa producit τo Ego ponendo, et ipsum est, ut ita dicam, identitas subjecti et objecti.

§. 18.

Haec praecipua sunt e philosophia Fichtii, magna consequentia sine dubio excogitata, quae omnes oontra-

---

18) V. Grundrisse des Eigenthuemlichen der Wissenschaftslehre 1802 pag 1.

dictiones solvere videtur. Si interrogas, quo modo una res plures habere possit proprietates? Fichtius tibi respondebit: nulla est res extra te, et tu tantummodo cogitas rem. Si meditaris, qua via notiones nostrae externarum rerum existant? Fichtius tibi in memoriam vocabit, τo Ego in se ipso ponere τo Non-Ego.

Et quid contrarium dicere velis Fichtio? Jam dudum scepticismus ostendit, et inprimis Berkeley demonstravit, nos neutiquam res tales cognoscere, quales vere sint, sed tantummodo attributa. Imo attributa non eodem modo ab omnibus hominibus cognoscuntur, sed ad diversitatem sensuum diverso modo.

Nunquam possumus intrare in res externas, easque inspicere, sed quod ab iis scire putamus, status quidam animi nostri sunt, et ad varias notiones nostras varia quoque entia fingimus. Conscientia vero notrûm ipsorum ab omni dubitatione tuta est, nemo enim argumenta poscit realitatis suae, sed simpliciter scit, se esse, neque strenuissimus scepticus contendit, se non esse. Omnibus ergo externis negatis, τo Ego negari nequit, sed est, et solum est et unicum. Diserte atque populariter Fichtius in libro suo, qui titulum ducit: Bestimmung des Menschen, ibique in duobus prioribus partibus, quas appellavit: „Zweifel" et „Wissen", exposuit omnes contradictiones, quas involvit experientia et sensim sensimque ad idealismum ducit dubitantem, ita ut has partes, qui legant istum librum, plurimi sine dubio acceperint, neque multa opponenda habuerint.

§. 19.

Sic igitur necessarium videtur, ut quisque ad idealismum se vertat, qui veritatem philosophicam et solutionem omnium dubitationem assequi studet, ad

illud systema, quod vulgaribus hominibus horribile apparet, et frigido vertici montis simile est, quod philosopho vero sane attingendum est et perpendendum, si firmum sciendi fundamentum accipere velit, quanquam postea rursus ad realismum convertat se, necesse est, perspecta idealismi vanitate. Quamvis enim idealismus extrinsecus nullo modo vinci possit, tamen collabitur, quia fundamentum et principium falsum est, sibique contradicit[19].

Sectio Tertia.

De contradictionibus in Fichtii idealismo obviis.

§. 20.

Priusquam principium idealismi vel το Ego ipsum

19) *Schellingii* systema, transcendentalem vel absolutum idealismum ab ipso appellatum, hac in dissertatione tacebo, quia ad meam quidem sententiam idealismus iste non absolutus est, cum Fichtii systema sane sic dici possit. Schellingius nempe non e notione του Ego omnem philosophiam deducit, sed extra το Ego etiam naturam, et utrumque in absoluto i. e. in Deo ponit. Non igitur *negat* realitatem externarum rerum, sed *affirmat* eam, ita vero, ut omnia entia sint evolutiones absoluti, ut totus mundus et illnd *unum* idem sit (το ἓν και παν). To absolutum Schellingii simile est τῷ Ego Fichtii; Schellingius vero non progressus est ab idealismo Fichtii, sed rediit, et se vergit aliquantulum ad realismum. Ob hanc causam philosophia eius Spinozae systemati non dissimilis est et dum nec idealismus nec realismus dici potest, ex utroque systemate aliqua continet. Fichtius sine dubio summum idealismi fastigium ascendit; contra eum igitur disputandum est.

aggrediar, alios quoque errores afferam, quos idealisticum systema involvit. Quia enim idealismus nexum causalem inter nos et res externas ejecit, perceptiones nostrae sine dubio absolute fiunt, ita ut nulla sit causa alterius, sed quaeque per se existat et το Ego nunquam est in quiete, quemnam statum Fichtius mortem quasi animi diceret, sed semper agens est, et *est* tantummodo, quia agit, nam nihil aliud est, quam sempiterna actio.

Cuique sine dubio hic Heracliti systema et continuus omnium rerum fluxus in memoriam veniet, et sane το Ego Fichtii omnes contradictiones illius fluxus et interni quidem involvit. Taceo hic, quod alii contra actionem illam, secundum quam contenditur, omnia, sine causa efficiente, fieri et gigni et interire, attulerunt[20]); id tantummodo dicam: si omnia semper fiunt, oriuntur et occidunt, fluunt, labuntur; nihil omnino est, sed quodque elementum illius fluxus hoc momento statum aliquem habens, alium quoque init statum, quia mutationem continuam postulat το Fieri; quaeque igitur particula fluxus uno eodemque momento duas sibi contrarias qualitates habere dicitur, quod absurdum esse patet. — His contradictionibus omnia certant systemata, quae fluxum docent continuum, seu externum, seu internum, ergo quoque Fichtii systema. Mirandum vero est, tot recentiores philosophos, Leibnitium, Spinozam, Fichtium, in easdem Heracliti salebras relapsos esse, cum Eleatici jam illam Ionicae scholae mutationum explicationem a veritate discedere sensissent.

Sed aliis quoque scopulis frangitur idealismus.

---

20) §. 2. adnot. Cf. Herb. introduction. in philosoph. edit. alter. §. 108 — 110.

§. 21.

Nemo negare potest, nos varias diversasque perceptiones habere, quarum omnium causam et fundamentum το Ego esse, idealista docet. Atqui hoc fieri potest? Si το Ego, quem ad modum Fichtius voluit, actio pura et simplex est, effectus hujus actionis quoque simplex et semper idem sit, necesse est; sed idealismus statuit, omnem illam multitudinem perceptionum nostrarum, motuumque ceterorum animi ex *uno* simplici profluere, quod sane contradictorium est. Quia enim το Ego varia habet vel possidet attributa, possessio ipsa varia est et illud unum et simplex varietatem et multitudinem in se habet, ita ut si το Esse referatur ad notionem habendi, tot existant entia, quot sint varia attributa, et το Ego igitur contradictionem rei plures habentis proprietates involvat[21]). Sic igitur idealismus utramque illam contradictionem, quam initio dissertationis meae attuli, neutiquam solvit, sed ipse errores του Fieri et rei plures habentis proprietates amplexus est.

§. 22.

Progrediamur vero ad principium idealismi, vel, ut ita dicam, ad nervum totius systematis, nempe ad το Ego ipsum. Το Ego est perceptio sui ipsius (das Sich-Vorstellen); ut autem percipiat se et cogitet, quod sesundum infinitam suam actionem facere non posset, ad rem quandam incomprehensibilem (an eine unbegreifliche Schranke) offendit, quo facto ex absoluta libertate το Non-Ego et semetipsum cogitat. — Maximae inde oriuntur difficultates. Primum sane philosopho indignum est, rem incomprehensibilem in

---

21) Cf. Herbart. introd. in phil. edit. alt. §. 97. 101. 103. et theoriae de attractione element. §. XII.

systema inducere, et Fichtius totum τo Ego potius repudiare debuisset, quam illam vanam notionem retinere. Deinde vero sane minor, τo Ego, quod unum et simplex sit, partem realitatis suae tradere τῳ Non-Ego, et tantam quidem, ut ipsum minima particula τoυ Non-Ego, vel mundi externi appareat. Alterum ergo Ego nobis se offert ceu magnum, infinitum, liberum, alterum minimum, mundo adnexum, quem antea ipsum quasi creaverat.

§. 25.

Sed ad graviora transeamus. Quaestio est, quemadmodum τo Ego ponat τo Non-Ego? Quisque in se habet conscientiam certam sui ipsius, et insuper perceptionem mundi externi non manentem sed semper inconstantem. Quo modo τo Ego haec plane contraria conjungat? Necesse est, ut ponat et se et notionem mundi externi vel uno actu vel duobus actibus. *Wolfius* quidem putavit, hominem sane juxta perceptionem sui ipsius mundum quoque externum cogitare posse. Hoc vero concedi non posse, facile intelligitur. Quomodo enim τo Ego, quod nihil aliud est, quam perceptio sui ipsius, ex hoc semetipsum ponendo quasi exire, et aliud quid, plane diversum, ponere potest? Tum amplius non est τo Ego, vel potius partim est τo Ego (positio sui ipsius) partim non τo Ego (positio alius cujusdam externi); aut, si positiones sui ipsius et externi cujusdam attributa dicere velis unius entis, nescimus quid sit hoc ens? — Quam ob rem Fichtius noluit, τo Ego primum se et deinde τo Non-Ego ponere, sed statuit, τo Ego se ponendo etiam mundum externum ponere, vel percipere se ceu ponens mundum externum, ad quem τo Velle suum referri possit. To Ego ideo percipit se ceu ponens τo Non-Ego, ita

ut το Ego se reperiat ceu aliam rem, non ceu se ipsum, unde patet, το Ego (positionem sui ipsius) το Non-Ego non ponere, et illam conjunctionem του Ego et του Non-Ego, quam Fichtius voluerit, nec esse nec cogitari quidem posse.

§. 24.

Cum vero contradictoria sit notio, ut unum idemque ens simplex et se et aliud quid cogitet, ejusmodi fortasse ens esse potest, quod vel το Non-Ego tantummodo, vel se ipsum solum cogitet? Videamus. Fingamus igitur ens simplex, quod cogitet mundum quod substratum quasi sit phaenomenis omnibus, seu consentientibus seu contradicentibus sibi invicem, quod materia, ut ita dicam, sit, in qua mutatio fieri possit, quod contineat illa omnia, quae semper labuntur et fluunt, et nunquam sunt constantia, oriuntur et occidunt, fiunt et in τῳ Fieri in alia mutantur. Sed quidnam tunc habemus ens? Neutiquam id simplex esse potest, quamvis hoc postuletur, quod multitudinem in se habet; igitur non unum sed plura entia sint, necesse est, et tot certe, quot sunt phaenomena. Et sic vere res se habet, nam res cum pluribus proprietatibus cogitari nequit, nisi ceu ens simplex conservans se contra alia entia perturbantia. Sed de hac re postea loquendum erit.

§. 25.

Relicta est disquisitio de simplici, quod se ipsum tantummodo percipit et cogitat, τῳ Ego vero et infinito, quod quasi ante positionem του Non-Ego est, et perceptio sui ipsius, vel identitas subjecti et objecti esse, dicitur. Hic tres latent contradictiones. Primum nempe subjectum nunquam reperiet et capiet, ut ita dicam, objectum suum. To Ego enim ponit se, i. e.

suum Ego, i. e. positionem sui ipsius, i. e. positionem sui ipsius ceu του Ego sui, i. e. positionem sui ipsius ceu positionis sui ipsius, i. e. positionem sui ipsius ceu positionis sui ipsius ceu του Ego sui; et sic series haec nunquam finietur, et το Ego nunquam se ipsum vere ponet.

§. 26.

Venio ad alteram contradictionem. Objectum a subjecto nunquam capi apparet, eodem vero modo etiam subjectum ab objecto reperiri nequit, sed longe aufugit. Το Ego ponit se; sed actus ponendi est actus του Ego, et pertinet igitur ad το Ego, et cum τῳ Ego poni debet, qua re alia positio necessaria fit. Το Ego igitur nunc se ponit ceu ponens se. Hic autem το Ponere nondum finiri potest, sed το Ego ponit se, ceu ponens se — — — ceu ponens se; ita ut, si antecedentem §. respiciamus, seriem habeamus, quae ad dextram et ad sinistram infinite procurrit, neque unquam abrumpi pòtest. — Contradictoria ergo est notio του Ego, quia nunquam se ipsum capiet, et nunquam positionem finiet.

§. 27.

Tertio denique magnam difficultatem involvit identitas postulata subjecti et objecti. Subjectum nempe ab objecto diversum esse debet, nam objectum exspectat aliquid, quocum conjungatur, neque sibi ipsum adnecti potest. In illa vero serie infinita, si etiam proxima duo membra depromamus, haec non conjungere possumus, ita ut unum sit subjectum et alterum objectum, quia non diversa sunt, et si quodque illorum membrorum ponamus = A, dici quidem potest: A est A, sed neutiquam: A cogitat A; igitur etiam non το Ego cogitat vel ponit se, i. e. suum Ego. —

Repletum ergo est τo Ego contradictionibus et hoc principio abolito, totus idealismus quoque stare nequit.

§. 28.

Quia autem quisque in se perceptionem mundi externi habet, nihil aliud relictum est, nisi ut extra nos alia ponamus entia, quae causa fiunt, ut in nobis perceptiones existant. — Et sic *realismus* restituitur in locum idealismi, aptior rationi humanae, qui ab experientia incipiens, multa quidem entia extra nos statuit, notiones vero τον Esse, τον Fieri, mutationis, rei plures habentis proprietates, temporis et spatii, vel solvit, vel reiicit et in loco iis accommodato ponit.

Sectio quarta.

De correcta τον Ego notione

§. 29.

Realismus contradictiones τον Ego solvat necesse est, nam quisque sui ipsius conscius est, et suum Ego certissimum omnium entium habet, quamvis maximas, ut expositum est, involvat contradictiones et difficultates, quia, si omnes fortuitae conditiones a τῳ Ego removeantur, perceptio tantummodo sui ipsius remanet. Neutiquam vero realismus explicare et a difficultatibus liberare vult τo Ego Fichtianum, illud magnum infinitum, unicum, quod solum et fundamentum omnium aliorum esse praetendit, sed empiricum Ego, quod omnes in se habent homines, quod extra se multa alia entia esse permittit, et multa quoque sibimet

ipsi similia, a quibus ut distinguatur, το Ego dicitur, quomodo existat in conscientia, enucleat.

§. 30.

Contradictio in τῳ Ego obvia haec erat, ut subjectum idem esse postularetur cum objecto. Nonnulli fortasse putant, το Ego empiricum ab hac difficultate non premi, sed falluntur. Si enim me interrogo, quis equidem sim? et respondeo: sum hic certus homo, hoc certo tempore vivens, ab istis parentibus genitus, cum his et illis hominibus et hoc certo loco versans, ab istis praeceptoribus doctus, hoc corpore circumdatus, his vel illis affectibus et cupiditatibus praeditus, has vel illas notiones in me habens: nonne in animum mihi veniet, haec omnia esse fortuita, cum ab aliis quoque parentibus potuissem gigni, ab aliis magistris doceri, aliisque cum hominibus degere, et omnino in alia conditione vivere? Tamen vero sum, et si alio tempore vixissem in hac terra, tamen fuissem; nihil aliud igitur, omnibus istis fortuitis et non pertinentibus ad me ipsum remotis, mihi remanet, quam: ego sum ego, vel: ego percipio me ipsum. Ut ideo contradictio solvatur, identitas subjecti et objecti neganda est.

§. 31.

In data notione του Ego contradictoria sunt igitur duo membra, subjectum et objectum, quae experientia aequalia esse vult, speculatio diversa inter se. Ut clarius res appareat, ponamus subjectum = N, objectum = M. Experientia ideo jubet, ut M sit = N, speculatio jubet, ut M non sit = N, et sic habemus duo M, alterum τῳ N non aequale, quod cogitari quidem potest, sed non valet in experientia, alterum τῳ N aequale, quod valet quidem sed cogitari nequit. M. ve-

ro, quod aequale positum est τῷ N, discerni vult a τῷ N, ut cogitari possit, et M, quod aequale non est τῷ N, conjungi vult cum τῷ N, ut valeat, et utrumque istud M iterum duplex ponatur necesse est, aequale nempe τῷ N, et quoque non aequale. Sic autem hanc discisionem τοῦ M in infinitum continuari posse, et tamen nunquam unum M, quodlibet velis, contradictionem soluturum esse, clare elucet. Notio vero data nihil aliud in se habet, praeter M et N, et ne alienum quid in notionem veniat τῷ M, ut aequale sit τῷ N, nihil addi potest, nisi vel M vel N. Τὸ N autem τῷ M accedere nequit; si enim diceretur: $M + N = N$, id insanum esse, statim intelligitur, quia τὸ N duplici vi haberetur, quamvis unum tantummodo sit membrum notionis. Nihil igitur reliquum est, nisi ut plura M supponantur, et nos in cogitatione nostra alterum M addamus alteri. Difficultas igitur sic tollitur, ut plurium M nullum per se, sed unum quodque, modificatum per reliqua, aeqnale sit τῷ N. Mutatio scilicet notionis contradictoriae haec est, ut plura M ponamus loco unins M quod primo adspectu in ea inveniebatur. Contradictio ergo in notione τοῦ Ego obvia sic solvi debet, *ut subjectum plura ponat objecta, et in conjunctione eorum semetipsum* [22]. Unica et minima haec est mutatio, qua ad corrigendam τοῦ Ego notionem uti possumus; aliquantulum enim mutari debet, quia sibi repugnat, notio.

22) Nonnulli fortasse putabant, hanc explicationem τοῦ Ego non differre a τῷ Ego Fichtii, sed discrimen hoc est, ut Fichtianum Ego realitatem requirat, hoc vero Ego, de quo equidem sermonem facio, realitatem ne admittat quidem, multitudinem in se continens, sed *perceptio* tantummodo sit. Hoc vero versus finem dissertationis clarius elucebit. Cf. §. III.

Sin vero deinde reperiremus, hanc mutationem non sufficere, neque probari ab experientia attente perspecta, omnino non solubilis esset notio του Ego. Sed ostendam, sane non necesse esse, aliam subeat mutationem notia data, atque experientia probari, plura supponenda esse objecta[23]).

§. 32.

Sin vero quis quaereret ex me, cur plura objecta ponam, neque potius plura subjecta, hoc respondebo: subjectum augeri nequit, quia tot existerent entia, quot posita essent subjecta, et unusquisque homo se unum habet ens, et non plura entia. — Quaestio est, quid sibi velit: subjectum ponit plura objecta? Si certa objecta inhaererent subjecto, ita ut hoc his tantummodo objectis subjectum esse posset, in errores Fichtianos relaberetur nostrum Ego, fortuita igitur sint subjecto objecta necesse est, et diversa inter se, et deinceps alio tempore alia veniant, quod sic tuntummodo fieri potest, ut positio plurium objectorum sit series conservationum subjecti sui ipsius adversus alia entia perturbantia.

§. 33.

Porro autem quaeritur, quomodo objecta illa, quorum unumquodque a ceteris diversum, et subjecto aequale non est, conjuncta aequalia esse possint subjecto? Antea jam dictum est, modificari haec objecta. Si subjectum modificaret ea, idem esset, ac si poneret ea simpliciter, ut Fichtius voluit, et τo Ego insuper ad hanc contradictionem discederet, ut primum pone-

23) Adhibui methodum notionum integrandarum quam ut melius perspicias cf. opera Herbartii nominata: Hauptpunkte der Metaphys. p. 8 — 14., et dissert. de attract. elem. pag. 11.

ret objectum et deinde modificaret, i. e. alio modo poneret. Objecta ergo ipsa modificant se, et alterum differentiam alterius tollit, et quasi exstinguit. In hac vero modificatione et conflectu *constare* debent objecta; si enim plane evanescerent vel mutarentur, nulla essent objecta, aut sane nova.

§. 34.

Redeamus nunc ad illam του Ego explicationem, ut sit perceptio sui ipsius. Subjectum percipit plura objecta, quae tollunt se invicem, et mox veniunt, mox abeunt, atque ideo a subjecto reperiuntur ceu vanae imagines; deinde autem his objectis το Esse conjunctim tribuit — cum unumquodque ejici possit — et in iis se ipsum ponit, denique vero se ceu Ego, i. e. ceu rem quandam inter ceteras res.

§. 35.

Quaestio est, num haec hypothesis philosophice demonstrari possit, et ab experientia probetur? Videamus. — Ex praecedentibus apertum est, multa poni entia necesse esse, ad quae sine dubio animi nostri numerandi sunt. Ens vero, quod est simplex et tale semper, quale est, duas notiones involvit, του Esse nempe et qualitatis alicujus. To Esse enim, ut supra dictum est, non *est*, sed aliud quid *est*, et si ponamus, esse το A, illa cogitanda est qualitas, qua το A distinguitur a τῳ B, C, D etc., quae vero neutiquam multiplex esse potest. Entia vero simplicia diversae qualitatis, per se spectata, nullam habent mutuam relationem, neque ceu vires agere, et unum in altero efficere aliquid possunt, neque, ut Leibnitius voluit, in se perceptiones habent sine ulla causa; sed tantummodo *sunt*. Nihil enim aliud de iis dici potest, quia status quidam originalis, ut ita dicam, vel nisus iis

insitus relationem quandam ad aliud quid alienum iis indicaret, et puram τov Esse notionem turbaret. Hanc ob rem etiam qualitas horum entium semper incognita manet, cum nullum ex se exire et alteri dicere possit, quale sit, nec in se alterum intrare, et qualitatem quasi explorare sinat, quanquam vero cogitari debet, diversam esse qualitatem singulorum entium, ut fieri aliquid possit. Si enim aequalia concurrunt entia, nihil inde orietur, in concursu vero entium diversae qualitatis unum alterum deleret, sed hoc, quod deleri nequit, quia *est*, contra hanc perturbationem se conservabit, et hoc igitur unicum est, quod fieri potest in entibus, nempe: *conservationes ipsorum contra perturbationes*, quas alia concurrentia entia effectura sunt, quae conservationes diversae erunt secundum contrarietates in concurrentibus obviis; ubi bene vero monendum est, ne concursus entium pro attributo eorum habeatur, sed *accidit*, ut concurrant. Plane sibi opposita entia sane perfectum inibunt concursum, qui sine dubio ceu punctum mathematicum cogitandus est: sin vero oppositio non perfecta sit, concursus quoque entium incompletus existat necesse est, qui maximi momenti est ad explicandam materiam.

§. 36.

Postea vero, concursu soluto ob hanc vel illam causam, vestigium quasi in iis entibus, quae coierant, manet; actus nempe resistentiae desinere nequeunt, nam entia ipsa, a concurrentibus coacta, hos actus inceperunt, et alia igitur causa opus esset, ut finirent hunc statum, quia ut sponte tollerent eum, intrinsecus principium mutationis haberent, necesse esset. — Haec ad explicandum τov Ego ortum necessaria media e methaphysica desumta sunt, ibique pluribus illustrantur et probantur; propterea si quis ea, quae hoc loco ceu resultata tantum-

mo-

modo attuli, accurratius et melius intelligere vult, inspiciat Herbartii libros supra allatos.

§. 37.

Ad eos vero acervos, qui ex incompleto entium concursu existunt, corpus quoque humanum pertinet, quod igitur systema entium artificiosissime conjunctorum est, et contra externas, hoc vel illo modo compositas, concurrentes res vario, sine dubio, modo resistit, qua re varii quoque actus conservationis sui vel status in eo orientur. Est autem unum eorum entium, quae corpus faciunt, idque quod *animum* dicere solemus, in ejusmodi concursu incompleto cum ceteris corporis elementis, ut omnes resistentiae adversus entia externa actus communicentur cum eo, et status animi correspondeat conditioni elementorum corporis, quia in concursu incompleto entium, si unum eorum resistat contra oppugnantia externa, eodem momento cetera quoque hunc conservationis sui actum suscipiant, necesse est. Et hi ipsi actus, per quos animus se conservat adversus perturbationes ab oppositione externorum entium profecturas, *perceptiones sunt nostrae*[24].

§. 38.

Est animus simplex, omnibus experientiae formis insitis vel viribus rejectis, ejusque simplex qualitas, ut ita dicam, semper incognita manet; sed est etiam *unicus* nam actus ejus non inter plures distributi esse possunt diversos animos; si autem plures animi sibi omnino aequales in uno corpore essent, sane inutile hoc esse clare elucet. Uni ergo animo servit totum corpus, ad eum omnes conservationes corporis elementorum ducuntur, isque mutuo totum systema illarum conservationum dirigit. Quomodo vero conjunctae sunt

24. V. Herb. dissert. de attract. elem., eiusdem Psychol. §. 108 — 123. et additam. ad dissert. de attr. elem. de origine perception. auct. Thune.

externae res, et iterum dirimuntur, atque has vel illas qualitates habent: sic in animo quoque per sensus series perceptionum oriuntur, quibus neutiquam quidem cognoscitur, *quales* sint illae res, quanquam plurimi homines id putant, et status diversos animi pro attributis rerum externarum habent, sed tamen intelligitur: *esse quaedam extra nos, et diversae quidem qualitatis, et mox conjuncta mox rursus sejuncta.*

§. 39.

Quaeritur autem, quomodo in animo perceptio sui ipsius oriri possit? Perceptiones nostrae ob unitatem animi complicantur vel plane vel ad partem certe aliquam, unde prima aetate homo non singulas percipit res, sed omnia circa se ceu unum. Mox vero res ab hoc loco in alium moventur, vel antea conjuncta deinde secernuntur, et sic plures existunt complexiones perceptionum in animo, quas nominamus res, quasque plerumque non cumulos perceptionum habemus, sed singula entia, quia eas uno actu percipimus. Deinde autem res quoque dissecantur in attributa — quae nulla sunt, nisi illae perceptiones — et id, quod antea unum esse videbatur, nunc in multitudinem se mutat. Intellectus ideo aliam unitatem supponit, substantiam nempe, ut sit subjectum praedicatis multis, quod semper sit idem, et fundamentum quasi mutationis et maneat quoque, si hoc vel illud attributum ejiciatur. Si autem videamus, ullam rem secundum qualitatem aliarum rerum, quibuscum conveniat, se movere, vel omnino agere, putamus, eam percipere illas alias res, et si percipiat qualitatem sui ipsius, de se ipsa scire nobis videtur.

§. 40.

Fiat applicatio ad nos ipsos. Perceptiones animi de corpore nostro etiam complexionem faciunt, semper manentem, quia omnia elementa accurate conjuncta sunt,

et fundamentum τοῦ Ego constituunt, praesertim perceptiones affectionum, doloris, gaudii. Haec enim complexio corporis membra dirigit, et medium quasi est omnium rerum externarum, atque perceptiones reproducit, novasque opprimere studet, imò quia corpus pertinere ad hominem videtur, nos illarum rerum perceptiones habere putamus, ad quas corpus accommodat se, unde quoque dicimus, hominem se ipsum videre, si corpus tantummodo suum videat. — Ad illas vero priores perceptiones a corpore ortas mox aliae veniunt ex *ista* tam interna, quam externa experientia desumtae, quae ad id corpus *istuinque* pertinet animum, qui constituunt *me*. Omnes hae perceptiones ex omni vita hominis fluentes, ut ita dicam, in animo ejus *unam* faciunt *complexionem*, ita ut semper vacillatio quaedam sit inter perceptiones, et nonnullae tantummodo vere in conscientia sint. Ista vero complexio est τὸ *Ego*. Cum enim in illa complexione multitudo sit, et mutatio fiat, quia, ut jam dictum est, non omnes perceptiones sunt in conscientia, sed mox tolluntur, mox reprimuntur, recentibus in animum venientibus, nos *unam rem* quaerimus, in qua mutatio fieri possit, et sic complexioni dictae, multitudinem continenti, unitatem vel subjectum supponimus. Quia autem hoc subjectum incognitum est, eodem errore utimur in notione τοῦ Ego, ac in notione rei plures habentis proprietates. Habemus nempe complexionem, quamvis multitudinem involvat, pro unitate, quia perceptiones in ea semper conjunctae manent, pro subjecto, in quo mutatio fiat, perceptionibus mox venientibus, mox oppressis, et *hanc complexionem pro subjecto habitam appellamus τὸ Ego*. Ob hanc causam una quidem vel altera perceptio e complexione illa ejici potest, si autem in hac ejectione pergamus, omnis notio τοῦ Ego solvitur in perceptiones ab experientia ad me pertinenti et interna et externa desum-

tas, et subjectum abolescit, sicut res plures habens proprietates in multa attributa distribuitur, quorum unumquodque per se rejici potest, quae vero omnia *conjunctim* subjectum faciunt. — Hoc modo igitur, ut respiciamus ad methodum notionum integrandarum, perceptiones omnes in complexionem redactae et unitatem quasi constituentes, subjectum faciunt in notione του Ego, unaquaeque vero perceptio, cum ceteris coalescens, objectum facit, ita ut plura sint objecta, et omnia modificata invicem subjectum statuant. — Cum vero in animo perceptio, ut ita dicam, superioris gradus, nempe perceptio illius complexionis, vel του Ego, nascitur, dicimus; *percipimus nos ipsos*. — Sic igitur το Ego empiricum in hominibus sensim sensimque oritur, et satis probasse puto, nihil aliud esse το Ego, *quam complexionem perceptionum in animo humano, quarum quaeque quidem ejicienda sit, sed omnes nunquam abire possint, quae, ceu objecta, conjunctim subjectum statuant, cum ob simplicitatem animi uno actu percipiantur.*

§. 41.

Si autem accuratius de nobismetipsis cogitemus, et intelligamus, corpus etiam ad nos ipsos non pertinere, et omnes quoque perceptiones nostras esse fortuitas, de quanam re jam antea locutus sum, ad id ducimur, ut cognoscamus, illos, qui nos vere simus, esse animos nostros, simplices, secundum qualitatem incognitos, qui varias habere possint conservationes ipsorum, et vera subjecta sint notionis του Ego. — Ad hoc vero fastigium plurimi homines se non tollunt, sed de ipsis loquentes, eam in mente habent complexionem perceptionum, quae ipsa tum in animo eorum est.

§. 42.

Reliquum est, ut exempla afferam nonnulla ex experientia desumta, probantia, explicationem του Ego hic

propositam esse veram. Primum adspiciatis infantem quaeso. Sine dubio multas habet perceptiones, priusquam loqui didicerit, et hae perceptiones cupididitates efficiunt, clamorem excitant, motus corporis conficiunt, et uno verbo τὸ Ego infantis constituunt. Si nunc fari incipiat et aliquid accipere velit, non dicit: ego volo, sed tertia persona de se loquitur et igitur: Fridericus, inquit, Carolus etc. vult, sic complexionem illam nominans, quomodo se a parentibus appellari audivit. Cum vero intellexerit, alios homines, de se loquentes, breviore uti vocabulo: ego, hoc imitantur.

§. 43.

Sed aliud praebet experientia exemplum majoris momenti. Multorum, imo dicerem, omnium hominum Ego non semper idem est, sed aliud puerili aetate, aliud iuvenili, aliud cum sint viri, aliud, si ad senectutem pervenire iis permittat Deus. Plurimi homines, si accurate scirent, quasnam cupiditates, quamnam voluntatem, quae consilia habuerint ante viginti annos, sane intelligerent, id, quod nunc τὸ Ego suum dicant, plane aliud esse, quam illo tempore. Nullo alio modo haec res explicari potest, nisi sic, ut perceptiones, τὸ Ego statuentes, mutatae sint, aliamque complexionem inierint, quibusdam perceptionibus compressis aliisque adflictione soluta, sublatis.

§. 44.

Denique ad anomalos animi status advertamus, ad somnium inprimis et amentiam. Saepe enim fit, ut homo in somnio plures agat personas, alteram interrogantem, alteram respondentem, et τὸ Ego igitur duplificetur; neque minus notum est, amentes per unam saepe horam mox hos mox illos homines, nunc reges, nunc mendicos, esse imaginari. Multis miraculosum fere id videbatur, et praecipue ob hanc causam, quia homo in altero illorum

statuum alterius non meminerit, atque sane illustrari nequit, nisi vera expositione ortus τοῦ Ego utamur, qua adhibita facillime illa res explicari potest. In anomalo enim statu animi, qui sine dubio a corpore efficitur, quia animus sponte alium statum sibi non accommodatum accipere nequit, unitas complexionis perceptionum tollitur, et plures complexiones in animo sunt, unde plures personae existunt, cujus rei simile tum fit, si homo medium teneat inter cupiditatem et rationem, ambiguus, quamnam sequatur, et a duabus viribus ad oppositas trahi partes videatur.

§. 45.

Sed satis superque jam scripsi de re, quae in systemate tantummodo prorsus clare et accurate explicari potest, et fastigium fere cujuslibet systematis philosophici est, demonstrans, utrum sit verum, nec ne systema? Quisque optime veritatem intelliget, si ad se ipsum, i. e. ad id, quod suum Ego dicit, attendat.

Ex erratis typographicis

haec postissimum emendari volumus.

Pag.	1.	vers.	7.	ab inf.	lege:	spatium,	pro:	spatium.
—	2.	—	18.		—	discederent	—	discenderent.
—	—	—	—		—	quos	—	quas.
—	—	—	4.	ab inf.	—	perturbetur	—	perturbetur.
—	5.	—	5.	ab inf.	—	εἰναι	—	εἶναι.
—	6.	—	19.		—	multos	—	multas.
—	7.	—	4.		—	tum	—	tam.
—	—	—	8.		—	nostras	—	nostros.
—	9.	—	4.	ab inf.	—	cognoscimus	—	cognoscimus.
—	—	—	1.	ab inf.	—	pur.	—	par.
—	21.	—	9.	ab inf.	—	ἑν	—	ἐν.
—	22.	—	5.		—	existat,	—	existat.
—	24.	—	3.		—	miror	—	minor.
—	29.	—	11.		—	veniat,	—	veniat.
—	—	—	20.		—	aequale	—	aequale.
—	—	—	21.		—	unius	—	unius.
—	—	—	7.	ab inf.	—	putabunt	—	putabant.
—	30.	—	18.		—	tantummodo	—	tuntummodo.